



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Uniuersus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputatio XVI. De Natura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

Sacramentum Eucharistiae
in quo memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, dum nimirum Escaam dedit timentibus se. Imò huic sententiae favere videtur Concilium Constantiense, sess. 8. ubi definitur, accidentia panis manere in Eucharistia sine subjecto, qua de re latè dictum est d. 12. sec. 3. Quòd licet contrarij interpretentur de subjecto remoto, nempe substantia panis, Concilium tamen loquitur absolute, sicque conformius ad verba Concilij intelligitur de omni subjecto; ac proinde non sunt in quantitate tanquam in subjecto. Quamvis non negem valde probabile esse hæc accidentia subjectari in quantitate.

Quantitas in sacrosancta Eucharistia est alba tantum denominative.

Secundæ qualitates supponunt primas.

Aliud de dispositionibus moralibus, aliud de physicis.

in quantitate sequi plurima multiplicatum iri miracula, tot scilicet quod sunt diversa accidentia: Nec enim est cur refugiamus in illo mysterio miracula, in quo memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, dum nimirum Escaam dedit timentibus se. Imò huic sententiae favere videtur Concilium Constantiense, sess. 8. ubi definitur, accidentia panis manere in Eucharistia sine subjecto, qua de re latè dictum est d. 12. sec. 3. Quòd licet contrarij interpretentur de subjecto remoto, nempe substantia panis, Concilium tamen loquitur absolute, sicque conformius ad verba Concilij intelligitur de omni subjecto; ac proinde non sunt in quantitate tanquam in subjecto. Quamvis non negem valde probabile esse hæc accidentia subjectari in quantitate.

XI. Dices; quantitas in Eucharistia est alba, frigida &c. ergo subjectantur hæc accidentia in quantitate. Nego antecedens, si propriè loquamur: licet etiam accidentia illa sint extensa, non tamen hoc habent ex eo quòd subjectentur in quantitate, sed quòd cum illa penetrantur commensurativè per suam ubicationem, & extensionem ad locum. Nec ex eo quòd materia non possit recipere calorem, frigus, & cætera accidentia sine quantitate, sequitur propterea illa subjectari in quantitate, sicut nec sequitur formam substantialem in eadem subjectari, licet sine quantitate materia non sit proximè apta ad eam recipiendam: sicut etiam secundæ qualitates, ut albedo, dulcedo, &c. non recipiuntur in primis, calore sci, frigore, &c. esto hæc ad illas necessariò in subjecto præsupponantur, non minùs quàm dispositiones ad formam substantialem, in quibus similiter non subjectatur.

XII. Dices secundò; dispositiones sæpè sunt in uno subjecto, forma verò ad quam disponunt, in alio: ut actus intellectus disponit ad actum voluntatis, visio ad appetitionem, actus meritorius in voluntate ad gratiam in animà, actus peccati ad expulsionem gratiæ, & alia hujusmodi, ergo licet accidentia disponant ad formam, non est necessarium ut sint in materia, sed possunt esse in quantitate. Ad duo ultima respondetur primò, solum esse dispositiones morales, moventes sci. Deum ad dandam vel tollendam gratiam, de quibus dispar esse potest ratio, ac de dispositionibus physicis physicè subjectum disponentibus ad formam in eo recipiendam, ac propterea debent dispositiones physicè esse in subjecto disposito. Resp. secundò generaliter de omnibus illis simul, recipi omnia in eodem subjecto in quo formæ ad quas disponunt, nam & illa & formæ recipiuntur, etiam immediatè in substantia animæ, ut suo loco dicitur.

XIII. Hæc quidem probant debere necessariò qualitates seu dispositiones recipi immediatè in materia,

quam disponunt ad formam substantialem: si tamen quis diceret ita recipi immediatè in materia, ut tamen recipiantur simul in quantitate, sicut actus intellectus subjectantur immediatè in intellectu & in animà, non facilè convinceretur. Dicit tamen posset materia sola recipere alia accidentia, ac recipere potest quantitatè. Deinde non est cur dispositiones recipiantur etiam partialiter in quantitate, cum forma ad quam disponunt, nec partialiter in eà recipiatur. Præterea sicut secundæ qualitates non recipiuntur in materia, & simul in primis, ne quidem partialiter, licet primæ disponant aliquo modo & prærequirantur ad secundas, ita accidentia nec partialiter recipiuntur in quantitate, esto ad illorum receptionem in materia necessariò prærequiratur quantitas, & materiam quodammodo ad illorum receptionem disponat.

Contrariæ tamen sententiæ sua maneat probabilis; ita enim hanc probo, ut illam non improbem, ob auctoritatem præsertim S. Thomæ, qui in illà opinione esse videtur.

Quæres utrùm unio sit de essentiâ compositi substantialis? Respondetur affirmativè: primò, quia est ipsa forma compositi quæ talis, compositum enim quæ tale dicit pro formali compositionem, seu unionem, non minùs quàm album albedinem. Deinde, essentiâ Petri non est anima & corpus quomodocunque, seu in actu primo, sed anima & corpus unita, & in actu secundo conjuncta ad faciendum unum totum, & Petrus essentialiter est quid compositum, non est autem compositum formaliter nisi per compositionem & unionem.

Utrùm autem unio dici debeat pars compositi necne, quæstio videtur de nomine: Si enim per partem intelligatur quicquid physicè & realiter ingreditur constitutionem compositi ut aliquid illius, certum est unionem esse partem, nec Angelus videns partes & non unionem, videret totum hominem. Si autem per partem intelligatur rigorosè pars, sicut cum dicitur homo constare duabus tantum partibus, materiâ sci. & formâ, sic unio non est pars, cum non habeat se ut quod in constitutione hominis, sed ut quo partes illi dantur, estque quasi integritas utriusque partis. Sicut actio non est id quod vel agit, vel producitur, sed id quo agens agit, & quo effectus producitur. Unde unio vocari potest pars ut quo, seu ratio per quam partes constituuntur actu partes.

Disputant hinc aliqui, darine possit corpus simplex. Sed quæstionis hujus discussionem differam in libris de Cælo d. 3. ubi quæri solet, an cæli de facto sint Corpora simplicia, vel composita ex materiâ & formâ.

Rationes cur qualitates nec partialiter recipiantur in quantitate.

XIV. Probabile tamen est qualitates recipi in quantitate.

XV. Unio est de essentiâ compositi.

XVI. Num unio dicenda sit pars compositi, necne, is est de nomine.

XVII. Darine possit corpus simplex discutitur in libris de cælo disp. tertii.

Finis libri primi Physicorum.

DISPUTATIO XVI.

De Naturâ.

Libro primo egit Aristoteles de Principiis intrinsicis, seu partibus compositi naturalis, tum in se, tum in ordine ad compositi constitutionem: nunc hoc secundo libro agit de Prin-

cipiis extrinsecis ejusdem compositi, vel etiam de intrinsicis, non ut constituunt compositum, sed ut ordinantur ad motum, ut disputationum decursu constabit.

SECTIO II

SECTIO PRIMA.

Explicatur conceptus Naturæ, & quibus rebus competat.

quam formam in ratione naturæ. Angeli & corpora completa simplicia (si deitur) secundum hanc definitionem non sunt natura, cum non sint partes aliquis compositi substantialis.

Dices; componunt Angeli unum totum cum subsistentiâ, & sunt partes totius constantis ex essentia Angeli & subsistentiâ, ergo sunt natura. Resp. ut aliquid sit natura debet esse pars alicujus primo & per se, seu pars essentialis; subsistentia autem non est pars essentialis, vel angeli, vel alterius rei, sed solum primum complementum rei in ordine ad operandum. Si autem quis dicat subsistentiam esse partem per se primo compositi ex essentia Angeli & subsistentiâ, dixerit similiter calorem & quodvis aliud accidens esse partem essentialem compositi accidentalis, ut albedinem albi, cognitionem cogniti &c. & tamen accidentia excluduntur ab omnibus à ratione naturæ, quia non insunt alicui per se primo, seu tanquam pars essentialis illius constitutiva.

Dices secundo; Angeli & corpora simplicia sunt principium motus naturalis, ergo sunt natura. Distinguo antecedens, motus naturalis, ut distinguitur à supernaturali, concedo; motus naturalis formaliter, & prout accipitur natura in hac definitione, nego: quia debet motus hujusmodi naturalis provenire ab aliquo quod per se primo insit mobili, nihil autem hujusmodi inest Angelo, vel corpori simplici completo, cum partes essentielles non habeant, nihil autem dicitur inesse sibi.

Anima rationalis est natura in actibus intellectus & voluntatis, quos elicit unita corpori. Cum autem dicitur, natura est determinata ad unum, non intelligitur de naturâ rationali in operibus voluntatis, sed de naturâ solum irrationali. Compositum etiam ex materiâ & formâ non est natura, sed ens naturale, quia scilicet non inest tanquam pars essentialis, & quidditativa alteri, sicut materia & forma insunt composito, quod expressè docet Aristoteles hic c. 1. t. 12. his verbis, quod autem ex his est (compositum scilicet ex materiâ & formâ) natura quidem non est, sed constat naturâ. Materia autem est natura, licet non sit principium activum, ad hoc enim sufficit quod sit principium passivum motus, ut contra P. Vasquium To. 1. in 1. 2. d. 25. nu. 20. docent nostri communiter. Verba ergo in definitione naturæ posita sumantur indefinitè, id est, ut natura sit principium aliquod, non definiendo sine principium activum an passivum.

Unde, ad rationem naturæ existimo sufficere, ut aliquid sit principium motus & quietis desunctivè, particula enim & sumitur frequenter disjunctivè: sic enim Joan. 4. v. 48. dicitur, nisi signa & prodigia videritis non creditis, id est, signa vel prodigia, alterum enim ad fidem in ijs sufficisset. Sive ergo aliquid sit principium motus activi tantum, sive tantum passivum, satis est per se loquendo ad rationem naturæ.

SECTIO II.

Argumenta contra definitionem naturæ: ubi quid sit violentum, & præternaturale.

Objicies primo, hinc sequi, nullum dari motum violentum, cum nullus sit, qui non habeat principium passivum, motus enim subjectum habeat necesse est, unde motus lapidis projecti sursum erit illi naturalis. Resp. negando sequelam, ad hoc enim ut motus aliquis dicatur violentus, spectari debet totum compositum. Motus ergo lapidis projecti sursum est naturalis secundum quid, simpliciter tamen violentus, materiæ enim secundum se spectatæ nullus

I. Natura naturans, seu creatrix est Deus.

Natura naturata.

Natura quemodo asserat ab essentia.

II. Natura definitur ab Aristotele.

Accidentia & subsistentia non sunt natura.

III. Tria ad rationem naturæ requiruntur.

IV. Materia & forma sunt propriè natura.

V. Uno est a quo modo natura.

V.

VI.

VII.

VIII.

VII.

VII.

VIII.

I.



nullus motus est violentus, toti tamen est violentus motus ignis deorsum, & lapidis sursum, quia uterque motus in utroque composito est contra inclinationem formæ, cujus signum sunt accidentia seu instrumenta diversa conformia diversæ inclinationi utriusque naturæ, in igne levitas, gravitas in lapide.

II. Quomodo differant naturalia, & artificialia circa principium motus.

Objicies secundò, Aristotelem hic t. 2. & 3. asserentem in hoc naturalia distingui ab artificialibus, quod illa habeant in se principium motus, non verò ista, ergo non sufficit solum principium passivum ad rationem naturæ, sic enim artificialia essent naturalia, cum in se habeant principium passivum motus. Resp. solum velle Aristotelem naturalia, ut naturalia sunt, habere ex se principium activum aut passivum motus, artificia verò quæ artificialia, seu prout ab arte, hoc non habent; vestis enim, aut cathedra prout ab arte, non sunt principia motus, vel localis, vel physici, nempe alterationis, sed siquid horum habeant, habent à principio intrinseco, & ut sunt res naturales, ut motum deorsum habent à gravitate, licet ars subinde juvare possit naturam, & reddere corpus aliquod aptum ut velocius moveatur deorsum.

III. Quid sit violentum.

Ex his colligitur quid sit violentum, quod sic communiter definitur, violentum est à principio extrinseco, passivo, id est, mobili, non conferente vim. Hæc ultima particula non conferente vim perinde est ac passivo repugnante, ac propterea vim activè non conferente, imò subinde positivè resistente, seu conando contrarium effectum producere, sicut aqua resistit igni. Is ergo motus est violentus, qui est contra inclinationem passivi adæquatè sumpti, quod proinde nullam vim activè confert, esto passivè necessariò conferat, cum motus in illo sit tanquam in subiecto. Materiam autem secundum se sumptam nullus motus vel physicus, vel localis est violentus, ut supra diximus, cum ex se ad omnem motum sit indifferens. Gratia autem & dona supernaturalia, licet non petantur ab animâ, vel Angelo, non tamen sunt illis violenta, cum non sint in animâ aut Angelo cum ulla quasi animæ aut Angeli renitentia, licet sint supra vires eorum naturales. Si autem ignis elevaretur ad producendam in se frigiditatem, videtur fore illi hoc violentum, quia renititur ex naturâ suâ, & licet per accidens vim conferat, confert tamen quasi per vim, & coactè.

IV. Agenti quâ agenti non posse inferri violentiam.

Hinc infero primò, agenti quâ tantum agenti non posse inferri violentiam, quia est contra definitionem violenti, in quo requiritur passivum: unde, si ignis elevaretur ad producendum frigus in aquâ, vel alio subiecto non esset illi hæc actio violenta.

V. Causa naturaliter agentis non possit in se producere motum violentum.

Infero secundò, causas naturaliter agentes non posse in semetipsis patientibus efficere motum sibi violentum. Probatur, violentum est ab extrinseco, passivo non conferente vim activè, sed solum patiente cum renisû & repugnantia, sed hic agentia naturalia con-

ferunt vim, & activè has operationes producunt, ergo. Unde, dum corpus uritur, v. g. licet violentiam patiatur ab igne extrinseco appposito, per aliquid mali ab illo in se productum, ut calorem nimium, aut quid simile; dolor tamen ipse non est violentus, cum sit ab intrinseco, & passivo aliquid in illum conferente, seu illum activè elicente: & licet appetitu elicito nolit quis dolorem, est tamen juxta appetitum innatum animalis, cum dolor sit per se loquendo bonum animali, est enim dolor odium vel averfatio mali præsentis, cujus si vitalem dolorem non haberet illud non propulsaret nec fugeret, sed statim periret.

Quid sit dolor.

Quando autem imperante voluntate ut brachium attollatur, deprimitur, illa depressio respectu voluntatis est quidem violenta, brachio tamen ut quid grave est, non est violenta, sed naturalis. Cum verò aqua attracto in fistulâ plumbeâ aëre, ascendit, motus ille aquæ videtur naturalis, est enim naturale aquæ, ut pars universi est, ascendere ad vitandum vacuum. Alij dicunt gravitatem aquæ esse à naturâ ordinatam ad petendum centrum aquæ, centrum autem aquæ est ut sit inferior aëri, & per illum contigua cælo, dum ergo attrahitur aër, mutatur, inquit, per accidens centrum aquæ, sicque per gravitatem tam naturaliter in eo casu ascendit aqua, ac postea descendit, cum per illam ascensionem petat suum centrum, utraque responsio facilè sustineri potest.

VI. Quando contra impetum voluntatis brachium deprimitur, sitne motus violentus.

Violentum duplex est, positivum, quando sc. forma cui passum renititur, est positiva, ut calor aquæ aliud negativum, quando nimirum id cui passum repugnat, est privatio rei debitæ, ut materiæ organizate violenta est privatio animæ.

VII. Violentum duplex, sitne vim conferentem.

Præter naturale tandem est illud quod nec est juxta, nec contra inclinationem naturæ. Sic ait Aristoteles 2. de Cælo c. 2. Motum circularem ignis in suâ spherâ qui rapitur à spherâ lunæ, esse illi præternaturalem, quia sc. nec illum petit ignis, nec ei repugnat; sic lux est aëri præternaturalis, statuat figura ligno.

VIII. Præternaturalis.

Supernaturale illud est quod solis naturæ viribus produci nequit, nec ad exigentiam naturæ. Duplex est, quoad substantiam, & quoad modum: illud in nullis unquam circumstantiis provenire à causis naturalibus potest; hoc licet in hac rerum peristasi produci à naturâ nõ possit, simpliciter tamen potest, ut visus restitutus cæco.

IX. Quid sit supernaturale.

Naturale tandem dicitur, Primò, quod habet naturam propriè dictam, ut materia & forma. Secundò, quod à naturâ oritur, vel intrinsecè, ut quantitas à materiâ, vel extrinsecè, ut calefactio ab igne. Tertio, quod opponitur fortuito, artificioso, & acquisito. Quarto, quod opponitur libero, & idem sonat ac necessarium: sic sol lucem producit naturaliter. Quintò, quod opponitur violento. Sextò, quod supernaturali.

X. Variis modis sumitur Naturaliter.

DISPU.